



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

De quarto gradu contemplationis, quæ est speculatio. Et de intellectu,
prout est vis animæ vel virtus seu donum: Et de sapore spiritus. Cap.
XLIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

vt & nobis nostra similiter dimittantur. Si intellectus est, quo beati sunt mundo corde, oremus ne duplex cor habeamus, téporalia scéstando, de quibus tentationes fiunt in nobis. Si sapiétiá est, qua beati sunt pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur, oremus vt liberemur a malo. Ipsa enim liberatio liberos nos facit Dei filios.

De quarto gradu contemplationis, quæ est speculario. Et de intellectu, prout est vis animæ vel virtus seu donum. Et de sapore spiritus. Cap. XLIIII.

Ego dormio, & cor meum vigilat. Cantic. quinto. Ratio vigilare semper debet super gregem cogitationum, locutionum, & operum: quia neglecta mens cécitatem incurrit, vt minus homo se cognoscat, minus videat qualis sit, vel esse debeat, quantum fallatur, quantum delinquat. Si ergo solícité super gregem bonarum cogitationum vigilat, vt has nutriat, & malas reprimat, diuina gratia super eum largius coruscabit; qua radiante & circumfulgente; vires contra malas cogitationes accipiet, vt eas sópiat & dormire faciat. Cúm ita principatur ratio & vigilat, tunc dormit sensualitas. Et huiusmodi verè dicere potest: *Ego dormio*, scilicet, secundum hominem exteriorum; & *cor meum vigilat* secundum hominem interiorum. Dum enim exercet spiritualia, corde vigilat ad salutem: sensualitate verò dormit; vigilant cogitationes bonæ, dormiunt mala: sopiuntur desideria carnalia, excitantur spiritualia, totusq; homo spiritualis ad caelestia spirat & anhelat, quartum gradum cōtemplationis amplexans, qui est in intellectu. Et est ea vis animæ; quæ percipit inuisibilia; sicut Angelos, animas, & omnem spiritum creatum. Nam intellectus sic acceptus, cooperatur ad cōtemplationem, quia quandam importat intimam speculationem. Dicitur enim intellectus, quasi intus legens, & penetrans vsq; ad essentiam rei. Obiectum enim intellectus est, quod quid est, vt dicitur in tertio de anima. Accipitur autem intellectus quandoque pro virtute intellectuali, prout est habitus principiorum naturalium, quæ lumini naturali subsunt. Et sic ostendit intellectus veritatē infalibiler: quia, secundum Augustinum, intellectuali visione nunquā anima fallitur. Aut enim intelligit, & verum est: aut si verum nō est, non intelligit; & ideo sic acceptus intellectus cooperatur ad cōtemplationem. Accipitur etiam intellectus, quandoque, prout est donum Spiritus sancti; & sic est habitus supernaturalis supernaturalium principiorum.

Intellectus.

apiorum, quæ sunt articuli fidei: & sic nominat quandam excellenti-
 am, cognitionis penetrandi ad intima cognoscibilem. Vnde de hoc
 gradu contemplationis dicit Origenes: Verus contemplator es, si trāf-
 cendisti omnia rationabilia propter phantasmata & alia impedimen-
 ta; animam ad superiora properantem retardantia. De quo transcen-
 su dicit Richardus: Nostra contemplatio tunc veraciter super omnem
 rationem ascendit, quando id animus per mentis subleuationem cer-
 nit, quod humana capacitatis metas transcendit; vt sunt illa; quæ de
 diuinitatis natura, & simplici eius essentia credimus, & Scripturarum
 diuinarum auctoritate probamus: quæ sola diuina reuelatione cognos-
 cimus, nec vlla humana ratione cōprehendere valemus nec vlla ra-
 tiocinatione nostra integre intestigare sufficimus. Et hic gradus subli-
 mior est, quia ista contemplatio supra rationem est, cui tamē humana
 ratio contrariare non potest, quin potius facilliter acquiescit, & atte-
 statione sua alūdit, nec etiam experimento, nec intellectu cōprehendi
 potest, quamuis ipsa credatur esse vera. Et hic gradus contemplationis
 dicitur speculatio, quæ non est perfectus gradus contemplationis, quæ
 uis ponat aliquem gradum contemplationis de meditatione, quæ ori-
 tur ex ratione; proficiens in speculationem, quæ partim oritur ex rati-
 one, partim ex intelligentia, & hæc vltra proficiens consumatur in
 perfectam contemplationem. Dicit enim Dionysius in principio An-
 gelicæ Hierarchiæ; quod Pater æternus lumen generat simplicissimum
 in essentia, & ipsum vniuersale lumen ab ipso Patre prodies, ad sui cō-
 municationem & participationem non solum admittit cælestes men-
 tes, sed etiam ad nos pro distributione bonitatis suæ venit, vt nos ab
 infimis separatos suscitet ad sui desiderium & cognitionem, & remota
 mentis distractione conuertat nos ad Patris conregnantis vniōnē ater-
 nam: Et hoc est lumen quod illuminat, quantum in se est, omnem homi-
 nem venientem in hunc mundum. Porro, diuina illuminatio est quædam
 Dei inspirata locutio, cuius sermo viuus & efficax, ac penetrabilior omni
 gladio ancipiti, pertingens usque ad diuisionem animæ & spiritus. Vnde,
 secundum Richardum, nihil in creaturis hæc diuisione mirabilius cer-
 nitur, vbi quod est essentialiter vnum & indiuiduū in seipso, in quan-
 dam portionem diuiditur, vbi anima, & quod animale est, in imo
 remanet. Spiritus autem, & quod spirituale est, ad summa euolat, &
 ab anima scinditur, vt dilectō Domino coniungatur, ita quod ad spe-
 culationem diuinæ gloriæ sublimatur, & in eandem imaginem trans-

Speculatio.

Iuan. 1.

Hebr. 4.

2. Cor. 3.1.

Hh 3; forma-

formatur. Pars autem inferior ad summam pacem & tranquillitatem componitur, cum superior pars ad gloriam & iucunditatem sublimatur. Vnde Augustinus: Quies est apud te Deus meus valde magna, & imperturbabilis vita: qui intrat in te, intrat in gaudium Domini sui, & non timebit, sed habebit se optime in optimo. Quicquid ergo feceris, o homo, cito redi à corpore ad animū, & illum diebus ac noctibus semper exerce. Clamat enim Deus ut redeas ad eum, & ibi est locus quietis imperturbabilis, vbi non deserit amor, si ipse non deseratur. Epulatio enim plena iucunditatis & tranquillitatis est in Deo requiescere, & eius experiri dulcedinem. De qua dulcedine dicit Psalmista: *Quam magna multitudo dulcedinis tua Domine, quam abscondisti timentibus te*, id est, seruasti illis, non negasti, vt soli ad eam perueniant. Est enim bonum, quod iustus & impijs non potest esse commune, vt timēdo perueniant. Quam diu enim adhuc timent, nondum & ipsi perueniunt, sed credunt se perueniuros, & à timore incipiunt. Nihil enim est dulcius immortalitate sapientiae, sed *initium sapientiae timor Domini*. Perfecisti autem eis dulcedinem tuam qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum, id est, qui totaliter, & semper in te sperant, non in hominibus, tam in aduersitate, quam prosperitate. Hic tamen notandum, quod verus sapor sic à falso discernitur: Non est vehemens vel impetuosus: carnem non titillat, sed carnis motus cōpescit, & mitigat: modestus est & tranquillus, lenis, dulcis & pacatus, spiritum roborat, carnem debilitat: mentem accendit, & illuminat, non extollit, sed humiliat: nam suauitas eius desiderium excitat, desiderium dum ad ampliora accēdit, de defectu semper humilem reddit. Econtra, falsus sapor diuitem sibi hominē demonstrat, quia ad cognoscendū diuitias bonitatis Dei non penetrat. Verus sapor sictorum humanum affectum rapit, & diuinum, id est, deiformem efficit, quod verò contemptatori nil graue, nil intolerabile videtur, sed agilis est ad omnia bona faciēda, ac mala perferēda, etiam mortalia tormentorum supplicia. Dicit enim Augustinus libro de natura & gratia, quod gustus caelestis gratiae tantae virtutis est, quod extinguit sitim omnium mūdanorum: & tantae dulcedinis, quod in dulcedinē vertit supplicia tormentorum: tantaeque suauitatis, quod animam excitat ad desiderium superiorū. Ecce quantum bonum confert diuina gratia si non fuerit in vacuum recepta, sed diligenter conseruata, omnisque consolatio peregrina valenter refutata. Nam crebra Dei visitatio dat familiaritatem, familiaritas

aritas ausum, ausus gustum, gustus famem, famies cōtemptum omnium, contemptus otium, otium Deū. Veruntamen licet semel perfecte fontem celestis gratiæ degustans, iam nesciat aliud quàm soli Deo firmiter & inseparabiliter adherere, quantūlibet tamen firmus ex Dei gratia videatur, quàm diu portat vas terrenum, in quo thesaurus Dei est, de ipso vase fictili semper est formidandum.

Quod contemplationem veram præcedere debent, sui ipsius & omnium mutabilium contemptus, securæ cordis & conscientiæ quietatio, & ab omni aliena occupatione elongatio.

Cap. XLV.

Ego dormio, & cor meum vigilat. Mens præsentia sui Creatoris visitata, & ex eius amore dilatata propter feruentem Dei charitatem, quam in se sentit, ultra se continere non valens, intuitu spiritali sursum se librat, illum videre desiderans, à quo tam dulciter visitatur & consolatur. Cùm igitur mens sic sursum eleuata per amorem feruidum Christo inhaerit, incipit aliquantulum inter eius brachia consopiri, vt non solum delectabiliter, sed & tenaciter Deo inhareat, & quasi vi quadam abstrahitur ab omnium visibiliū sensu & memoria, sic tamen, vt non plene suimet oblita, nec tamè verè compos sui, Canticorum illud experitur: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Est enim talis iste somnus, sicut illorum, qui dormire incipiunt, & tamè videntur sibi ea, quæ circa se fiunt, aliquo modo sentire & intelligere, sed præ sopore non aduertunt. Vnde Prosper de vita contemplatiua dicit: Quod vita actiua profectum habet, contemplatiua fastigium. Illa facit sanctū, hæc perfectū. Illa suscipiendo peregrinum, vestiendo nudum, gubernando subiectū, redimendo captiuū, tuendo violèter oppressum, se iugiter ab omnibus iniquitatibus emaculat, & vitā suam honorū operū fructibus ditat: Illa facultatibus in vsus pauperum distributis, se mundo expoliavit, & celo totis viribus adherens, res mundi mundo proiecit, ac seipsum Christo deuota mente restituit. Cùm igitur aliqui cōtemplationis arcem tenere desiderant, prius, secundum Gregorium, in campo certaminis se per exercitium operis probent, vt sollicitè sciant, si nulla iam mala proximis irrogāt, si irrogata à proximis æquanimiter portant, si obiectis bonis temporalibus nequaquam mens lætitia soluitur, si subtractis eis non nimio mœrore sauciatur. Nam veram & perfectam contemplationem tria præcedere debent.